

Phosphorvs sive Ioannes Baptista nativitas, vita, mors

Cabilliau, Baudouin

Lovany, 1642

Elegia 30. D. Ioannis triumphus. 1. Amor diuinus Ioannis adornat triumpham. 2. Ioannis in curru triumphali maiestas. 3. Triumphus, & in eo monstrorum sub rotis oppressio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70001](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70001)

D. Ioannis triumphus.

1. Amor diuinus Ioannis adornat triumphum,

2. Ioannis in curru triumphali maiestas.

3. Triumphus, & in eo monstrorum sub rotis operatio.

In terea Vates flos pulchrior emicat astro,
Purior illimi cui niue candet amor.
Victor amor felix, cui semper adorea bello
Floret, & ante tubas omnia læta vovet :
Et Dux ipse, comesque suo cum Vate triumphum
Apparat, & Vati præmia sera canit.
Sæua sed in fædos obnunciat omnia pardos,
Pardos, queis proprium crimen adulter Hymen.
Dicitur alba prius tristem traxisse ruborem,
Mortis opus, lenæ quæ rosa fronte stetit.
Qualis at hic Vati claræ fiducia laudis
Surgit, Idumæo cui sara palma toro est !
Ut rata vota tulit, pulchra & mors conscia famæ;
Candida pennato fama triumphat equo.
Iamque triumphales aduoluit ad astra quadrigas
Gloria, purpureâ gloria picta togâ.
Ipse suo Vates ut tinxit sanguine lauros ;
In caput admittit laurea ferta suum.
Dux habiles flecti pudor emoderatur habepas
Puniceas, pictis quas struit ille rosas.
Cui sol ipse suos optat transscribere currus,
Curribus ut curas adderet inde suas.
Haud aliâs alijs lux pulchrior villa quadrigis,
Ardet eques gemmis, ignibus ardet equus.
Vatis at adsidit latus hinc soror alba Pudori;
Inde sedet duris læta Virago malis.
Principe stans de xtrâ sceptrum Louis incubat ales;
Qui legit innubis solis ab ore iubar.

Præradia

Præradiat lœu à lampas , lux nescia noctis ;
 Ni magè sol terris alter , & alter ear :
 Ne stet Acidalium cœlo de Cypride sidus ;
 Pulsa Venus cœlo est. Phosphorus alter erit.
 Phosperus alter erit, casti lux candida vatis,
 Cui sit & Idalio pulchrius igne iubar.
 Quid loquar auratis fulgentes axibus orbes ?
 Quæque tremunt duris saucia monstra rotis ?
 Hic locus , hic vdo Como comes vdus Iacchus,
 Et Venus hic duro pondere pressa gemit.
 Hic incœtus Hymen, choræque, lyreque, voluptasque,
 Hic Odium, eque Odio dira Libido necis.
 Et quodcumque scelus blandis meditatur Erinnys
 Picta dolis, vindex queis struat arma dolor.
 Ipsa, vides? longo miscens cum sanguine fletus,
 Lena pari leno saucijs axe iacet.
 Alternantque pares sociâ sub strage querelas :
 Exprobrat hic fraudes, exprobrat illa scelus.
 Interea superas Vates adsurgit ad arces
 Victor, & astrigeris subiicit astra rotis.
 Sub pedibusque vides lœtum decurrere solem,
 Vatis ad occasum qui modò mestus ijt.
 Sol cui de radijs struit hinc, struit inde coronam.
 Hauriat vt pernox Phosphorus inde iubar.

F I N I S.